

## **Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiae, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in  
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus  
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum  
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque  
omnibus in utroque Foro ...

Pars I. De Testamentis, Codicillis, & ultimis voluntatibus. Pars II. De  
Hærede, & Hæreditate. Pars III. De Legitima Trebellianica, & aliis  
Detractionibus

**Luca, Giovanni Battista de  
Coloniae Agrippinae, 1690**

Disc. XLII. Romana hæreditatis de Spatis. De materia dispositionis, quæ  
prætendatur captatoria, quando in ejus casu esse dicamur; Et quatenus  
sic itaut sit invalida, an illa vitietur, vel vitiet ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74043](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-74043)

ROMANA.  
HÆREDITATIS DE SPATIS,PRO  
MARCHIONE HORATIO,  
CVM  
ALIIS DE SPATIS.*Discursus pro veritate in congressu pro directione.*

De materia dispositionis, quæ prætendatur captatoria, quando in ejus casu esse dicamur; Et quatenus sic, ita ut sit invalida, an illa vitietur, vel vitiet totum testamentum.

Et quando testator disponere possit de bonis propriis hæredis, cumque in eis gravare.

## SUMMARY.

- 1 *Acti series.*
- 2 *F* In successione inter nepotes ex fratribus præfunctis, quamvis cessa representatio, adhuc attenditur duplicitas vinculi.
- 3 Referunt plures opiniones in materia captatoria, quarum una est, ut quoties adjecta est non per viam conditionis, sed modi, vitietur & non vitiet.
- 4 Contraria firmatur verior.
- 5 Quando dicatur modus, & quando conditio.
- 6 An captatoria dispositio habens bonum finem sustineatur.
- 7 De pluribus captatoria speciebus, & qua si verè dispositio captatoria à iure prohibita.
- 8 Quales sunt casus tractati per DD. vel Rotam in proposito captatoria.
- 9 Testator potest disponere de bonis heredis, cumque in eis gravare, eorum est dispositio captatoria.
- 10 Declaratur quomodo, & quando dicta potestas procedat.
- 11 Sub nomine bonorum ad evitandam nullitatem ait, non veniunt iura, & actiones.
- 12 Verbum facultates, quid importet.
- 13 An dicatur sublata testandi libertas, ubi exerceri tantum potest intra certum genus.
- 14 Clausula omni meliori modo, salvat actum, cumque sustinet eo meliori modo quo potest.

## DISC. XLII.

**J**Uxta facti seriem, quæ in eadem causa habetur sub tit. de fiduciis dīc. 55. cuius materia in foro dilputata fuit, non autem præfens super captatoria; Cum Virgilius in vim facultatis à Paulo testatore sibi attribuita, gratificandi inter ejusdem Pauli descendentes, facta eretione majoratus, dispositus ad favorem Marchionis Horatii ex germano fratre nepotis, eidem, nec non ejus uxori, ac Bernardino filio primogenito injuncto onere subjiciendi hona propria prædicto majoratu, seu primogenitura, quod onus omnibus successoribus repetitum fuit; Hinc alii nepotes neglecti, non solum prætendere coepérunt invaliditatem dictæ præ-

tionis in bonis dicti Pauli testatoris, & successivè & qualem successionem fiduciocommissariam ob non bene exercitam dictam facultatem, juxta ea quæ habentur in d. dīc. 55. de fiduciis, sed etiam quod invalidum esset ipsius Virgilii testamentum in bonis propriis, ratione captatoria, quam continebat, unde propterea locus eritam esset intestatae successioni ad eorum favorem.

Verè tamen quoad eos prorsus inanis erat hac inspectio, quoniam ubi etiam in invalidato testamento, quoad bona Virgilii secundi testatoris, locus esset intestatae successioni, adhuc ad eam aspirare non potuerint oppositores, cum ea solum debita esset eidem Horatio instituto tanquam nepoti ex fratre utrinque coniuncto, non autem oppositoribus nepotibus ex fratre consanguineo tantum, dum etiam inter nepotes ex fratribus prædefunctis, ita ut cesseret necessitas representationis, magis verum, ac receptum est, duplicitatem conjunctionis attendendam esse, atque utrinque coniunctos excludere eos, qui sunt ex uno tantum latere ad text. in ant. c. 3. art. 3. auth. post fratres, Cod. de suis & legit. ubi C. 4. numer. 4. Matheilan. de success. ab intestato quest. 33. num. 2. Gom. Crass. in S. successio ab intestato quest. 33. num. 2. Gomez. ad l. Thauri 8. num. 7. Marta de success. par. 3. quest. 7. art. 7. num. 2. Corn. conf. 182. nu. 10. cum sequen. lib. 2. ex quibus, & aliis ita firmavit Rota in una Macerata, hæreditatus 27. Maii 1658. coram Vespicio.

Et licet in Urbe per Statutum 146. contrarium disponatur, attamen statutaria dispositio non intrabat; Tum quia agebatur de successione Clerici, in qua Statutum laicale non intrat juxta opinionem, quam tenet Rota ( licet mihi non placeat ) usub ita de success. Tum clariss., quia oppositores etant fostriles, Statuto non subjecti, ideoque ejus beneficio contraria civem, ( qualis erat Marchio Horatius ) potiri non debebant.

Ceterum, quatenus pertinet ad punctum captatoria, in discursu pro veritate habito in congressu per Marchionem Horatium juxta stylum ad causas directione convocato, ( cum veritatis sententia ) dicebant verè hujusmodi objectum parvi pendendum esse, ut de facto eventus docuit, quoniam oppositorum defensores, ejus levitatem agnoscentes, illud neglexerunt, se restringendo ad punctum male exercita facultatis circa bona Pauli primi testatoris, ut sub dict. de fiduciis dīc. 55.

In hoc enim proposito plures habemus opiniones, Una est, quod ubi institutio est pura, dispositio autem, ex qua captio resulteret, adiecta est, non per viam conditionis, sed per viam modi, tunc ipsa vitietur, institutionem autem, seu aliam principalem dispositiōnem non vitiet, atque hanc tenet Ruini conf. 10. num. 2. & 3. lib. 2. & sequuntur Simon. Pret. de Interpret. u. volunt. lib. 2. dub. 2. solut. 2. num. 74. Peregr. de fiduciis art. 33. num. 63. & ex professo conf. 35. nu. 3. & sequen. lib. 5. ubi in specie respondet ad Surd. decif. 68. & addecif. Seraph. 363. alias 543. par. 1. divers. Eamdemque opinionem tenet Sarmient. selectarum lib. 2. cap. 4. num. 7. in fine, qui proinde malè adducitur in contrarium per Surd. d. decif. 68. cum sola ejus discrepantia cum Ruino & Covarr. sit lupet distinguendo conditionem à modo, atque hanc Ruini opinionem ( licet incidenter, & indigeste ) sequi videatur Rotam Romana renunciationis. 23. Martii 1659. coram Cerro, de qua causa habetur dīc. sequi. quod scilicet institutio pura non vitietur per dispositionem captatoria, adiectam per viam modi; Istaque opinione attentā quando ea subsisteret, nullus effectus oppositoribus proficius ex oppositione resultabat,

quoniam

De LUCA  
De  
testamentis  
etc.  
GVI

quini mō proficuus esset testamentario, quoniam vi-tiatā dispositione captionem continente, liberam in-stitutionem obtinere posset, ideoque aliqui ex con-gregatis huic fundamento satis innitebantur.

Verū ego dubitabam, tam ex jure, quām ex fa-  
cto, seu applicatione, ideoque mea sententia erat, ut  
nullum defuper fundamentum constituendum esset;  
5 Ex jure siquidem, quoniam reprobato nominatim  
*Rum*, contrarium indistinctè verius firmant  
*Covar. cap. cum tibinum. 13. de testam. Maria de success.*  
*par. 4. quæst. 11. art. 2. num. 15. cum sequen. Fufar. de*  
*substit. quest. 503. num. 32. & conf. 43. num. 20. Ventu-*  
*rin. conf. 23. num. 77. ex professo Surd. decif. 68. ibique*  
*Hodiern. in addit. ubi relatis opinionibus hanc dicit*  
*veriorem; Eamque semper tenuit, ac veriore dixit*  
*Rota apud Seraph. d. decif. 363. in fine, alias 542. par. 1.*  
*divers. & decif. 350. nu. 14. par. 6. rec. eundemque sen-*  
*tum habuit in Bonon. fideicommissi de Malvetiis pro-*  
*posita de mente Martii 1663. coram Bevilagna. in*  
*qua tamē nulla capta fuit resolutio, sed insinuatum*  
*fuit desiderium concordia jam subequata.*

Ex facto etiam, quia testamenti contextus ostendebat, quod hujusmodi dispositio adjecta esset per viam conditionis à parte antea, dum priusquam hæres, vel alter vocatus, emolumentum acciperet, atque ad successioem admitti posset, tenebatur hujusmodi subjectionem bonorum proprietorum facere; In hoc autem verè distinguuntur conditio à modo, ut quando apponitur à parte, antea dicatur conditio, quando verè à parte postea, dicatur modus, ex deductis sub tit. de fideicommissi dif. 154. ideoque tuta non videatur opinio *Rum*, & *Peregr.* voluntum, ut dispositio modalis dicatur captatoria, quando post institutionem cum aliарum dispositionum intercedat, adjecta est, quoniam in eadem scriptura utpote recipiente perfectionem ab ultima syllaba non datur prius, & posterius, ex deductis per *Hodiern.* ad *Surd.* d. decif. 68. Potissimum verò (ut in præsenti,) quod in eodem capitulo, in quo hæreditas institutio continetur, exprelè quoque disponitur, ut successio regulat debet juxta formam inferius praescribendam, ideoque subsequentes conditions, vel dispositiones censentur ab initio inesse in ipomet capitulo, juxta text. ex preff. in l. si testamentum Cod. de insit. & substit.

Altera erat opinio fundata in traditione ejusdem  
6 *Rum* d. cons. 20. lib. 2. quam rationabilem, atque à ne-mine contradictam profitetur *Menoch.* consil. 1233. num. 7. ut scilicet captatoria dispositio non improbatur, quando testator, bonus, ac honestum finem habuit ita conservandi bona in agnatione, ob istius de- cōrem, ac nobilitatem, cum ita deficeret videotratio turpitudinis, & captionis. Verū licet inspectā naturali veritate, ista opinio mihi probabilis videtur, adeò ut contraria Iudaismi speciem continere visideretur, ob subtiles, ac scrupulosos legum civilium litterales intellectus, quos non bene attendimus, dum leges prædictas hodie non habemus, neque servamus ex auctoritate Legislatoris, sed ex earum rationabilitate, ac populorum ufo, ex deductis in *Neapolitana* edificiis substit. de servit. dif. 1. ac pluries hoc tit. & alibi advertitur; Adhuc tamen dicebam videri parum tu-tum fundamentum, dum Rota contrarium mordi- cūs firmavit decif. 168. & 358. par. 6. recen. in *Romana* fideicommissi de *Mariolis* 11. Decembri 1652. coram *Duno-zetto* inter suas decif. 925. & in eodem sensu fuit in d. *Bonon.* fideicommissi de *Malvetiis* coram *Bevilagna*, quasi quod iste honestus, & bonus finis, habendus sit per modum consilii, non autem præcepti, seu conditionis impeditiva, ne aequiratur, seu privationis ejus, quod acquistum est.

Quare mea sententia erat (cui ceteri etiam ad-

hæserunt,) ut solidius fundamentum, cui principali- ter insistendum esset, versaretur in eo quod in hac facti species, verè non essent in dispositione cap- toria juxta eam tertiam speciem, quam exemplificat *Rota d. decif. 350. par. 6. rec. ex num. 4. ad 13. & in- Ela Romana Renunciationis 23. Martii 1650. coram Cerro, decif. 23. par. 11. recen.* ubi feliciter institutio, vel alia dispositio fiat sub spe alterius substitutionis, ad commodum proprium, vel alienum, quoniam in hoc proprio constituit aliena bona ita captare. Aliae verò duæ species exemplificat per *Rota. ubi supra*, erroneè, fui impropriè à nostris antiquoribus sub nomine capitoriae nuncupantur, cum propriè sit conferre ejus voluntatem in illam alterius, ut ex auctoritate *Osaldi*, *Donelli*, *Connani*, & *Fabri*, aliorumque posterioris eruditiorum professorum, plenè deducit habetur apud *Martin.* Andr. dec. 73. num. 14. & *Castill.* tom. 2. controv. cap. 6. ex num. 1. quod etiam advertit *Seraph.* d. decif. 359. num. 12.

Consideratis siquidem omnibus casibus per Consulentes, vel Decisionantes tractatis, ponderabā quod in nullo iplorum versaremur; Siquidem apud *Rum.* 8) conf. 20. lib. 2. Bernardinus instituerat Joannem Baptista filium, cui substituerat Julianum fratrem, ejusque filios, dummodo è converto idem Julius consimilem faceret dispositionem infra octo dies, adeònt, ea non sequuta, substitutio evanesceret; Idemque continetur in casibus tractatis per *Peregr.* conf. 31. cum duabus sequen. & conf. 34. lib. 5. *Menoch.* conf. 699. *Surd.* decif. 53. 68. & 98. *Fufar.* conf. 43. *Menoch.* conf. 1233. *Ventarin.* conf. 43. & alios, quod scilicet unus alterum vocabat, dummodo ille consumalem vocatio-nem faceret de suis,

Atque in idem coincidunt casus tractati per *Rota* apud *Seraph.* d. decif. 359. & 363, alias 542. & 543. par. 1. divers. dicta decif. 78. & 360. par. 6. rec. dicta *Romana* fideicommissi de *Mariolis* coram *Duno-zetto* inter suas decif. 925. & dicta *Bonon.* fideicommissi de *Malvetiis* coram *Bevilagna*, in quibus omnibus agitur de testatore, qui ita vel spe lucri, vel metu pœna alienam hæreditatem ad favorem ejus dependentium, seu a liorum à se vocatorum captare studeat.

Id autem in præsenti dici non poterat, dum testator nullius hæreditatem, vel bona sibi, vel alteri per eum vocato, cum hoc improbo artificio captare voluit, sed eosdem, quos honoravit, gravare etiam voluit in bonis propriis, prius ad eundem gravatorum favorem, eorumque descendenter, ac successivæ aliorum, ideoque error terminorum videbatur assumptum, ut hujusmodi ordinatio contineret captatoriæ, cum verè & propriè contineret dispositionem de bonis hæredis, tui gravamen adjectum in bonis propriis ejus, quem testator honoravit, quod receperum est fieri posse ad text. in l. unum ex familia § sed & si fundum, & l. Imperator §. si centum, & l. cum pater ff. de legat. 2. gloss. Bart. Cumian. & cæteri in d. §. sed & si fundum; Atque agendo de captatoria, pro ista excludenda advertunt *Peregr.* confil. 63. num. 7. & 8. lib. 4. *Menoch.* d. consil. 1233. num. 21. cum seq. & admittit *Sarmient.* d. lib. 2. selectar. cap. 4. num. 7. circa med. Atque de dicta potestate gravandi hæredem de bonis propriis tanquam indubitabili, *Duran.* decif. 93. num. 1. cum sequen. *Romana* fideicommissi de *Cesis* 13. Maii 1658. & 10. Decembri 1659. coram *Melito*, ac lapis in sua materia sub tit. de fideicommissi dif. 134. & seqq.

Alias etenim cautela, quæ nuncupatur *Socimi*, per quam filius, ut reliquam paternam hæreditatem obtineat, gravatur ad subjiciendum fideicommissio propriam legitimam, alias liberam, ex deductis apud *Ottobon.* decif. 100. & in sua materia sub tit. de detraction. dif.

*dif. 17. & seqq.* contineret etiam captoriam, quod ab olore dicendum non est; Ideoque advertebam quod omnia, quae hincide de captoria discurrebant, essent à casu extranea, atque continentur manifestum aequivocum, ac terminorum confusionem.

Difficilis autem, quae super hujusmodi dispositionibus cadere potest, non consistit in captoria, sed in eo, quod gravamen excedere non potest emolumen:um, ideoque honoratus gravari non potest in bonis propriis, ultra id quod sua inter si honorarum esse, ac ad limites emolumen:um ex discursis per Peregrin. dicto cons. 63. lib. 4. & habetur dictio titulo de fideicommissis; Vel ob eam rationem, ob quam captoria infactio habetur, quod scilicet ita libera testandi facultas admiratur, ut quoties est de universa honoraria hæreditate dubitat Peregr. de fideicommissis art. 33. num. 49. cum sequen. Verum hæc difficultas cessabat in prima institutione Marchionis Horati, dum gravamen restrictum erat ad bona avita tantum præsentia, & futura; Quoverò ad propria, & uxoris, persecutiebat delata de tempore successionis, & sic remanebat facultas testandi de bonis futura; Et ultius dum testator loquebatur de bonis, hinc pro iusti: nendo actu, & restringenda obligatione, redi: dici poterat, ut non venirent jura, & actiones, upotè tertiam speciem constituentia, ut in puncto advertitur per Peregr. d. cons. 63. num. 7. & 8. lib. 4. Atque ad effectum substituendi donationem omnium bonorum, & ne sublata dicatur libera testandi facultas, firmatur in Tudertina donationis 17. Iunii 1652. coram Cero decif. 273. par. 11. recen. & in sua materia sub it. de donatione.

Eademque responsione dici poterat, ut tolleretur difficultas respectu aliorum successivæ vocatorum, quoniam licet gravamen esset de omnibus bonis præsentibus, & futuris, sub ei: tam non veniebant jura, & actiones, tanquam de tercia specie ut supra; Verum de hoc casu dubitari posse observabam, dum istorum respectu testator se non restrinxerat ad locum vocabulum bonorum, sed alterum magis generale adjecerat facultatum, quod in numero plurali prolatum, universam substantiam complexivam, nem: bona, sed etiam jura, & actiones importare dicitur Robuff. in l. verbum 37. ver. facultates in plur. ff. de verb. signis. & ex Tiraquell. in l. si unquam verbo bene num. 12. & aliis; Et in specie, quod hoc vocabulum upotè importans universam hæreditatem, admovere dicatur facultatem testandi, dixit Rot. in Eugubina testamento 28. Iunii 1652. coram Cero; Verum hoc, maturiori inspectione relevatum fuit, quando casus veniret, cum in præsenti ageretur de substituendo primam institutionem dicti Marchionis Horati, in quo dicta ratio cessantis facultatis testandi, non urgebat.

Cæterum etiam respectu aliorum ponderabam, quod ubetiam dictum vocabulum facultatum importaret universam eorum substantiam, non per hoc tamen dici poterat, ut omnino sublata esset facultas testandi, dum illam juxta disposita per eundem testatorem exercere poterant inter descendentes eorum, aliosque vocatos, unum vel plures instituendo, & gratificando, alios verò, vel in toto, vel in parte excludendo; Ubi enim prohibito, vel restrictio non est præcisa ad certas, ac determinatas personas, sed remanet dispositionis libertas inter plures incertos, quamvis de certo genere, tunc non dicitur sublata facultas testandi, sed solum aliquiliter restricta, ut in terminis pacti de succedendo Soccin. jun. cons. 143. num. 39. cum sequen. lib. 1. Et habemus de conditionibus aucteris, vel restringentibus matrimonii li-

berratem, quod improbor non reputantur illæ, quæ percipiunt certum genus, intra quos libertas remanet exercibilis, ut habetur sub it. de matrimonio, ac sub altero de fideicommissis, præterim in Bonon. de Guido-  
ius dif. 44. & infra dif. 73. & alibi; Quæ tamen omnia discursiveè insinuabantur motivandi gratia sub reservatione maturioris judicii.

Præterea, idem objectum removeri posse obser-  
vabam, ex eo quod testator ita disponendo, relatio-  
nem habuerat ad primogenitum ordinatum in domo Barberina, cum declaratione, ut valere deberet,  
eo meliori modo, quo posset; Ita vero clausula ac-  
cedente, tunc utile per inutile non vitatur, sed inuti-  
li vitiat, actus remanet utilis, ideoque obligatio  
restricta censetur ad bona præsentia, atque propor-  
tionata commodo, ut advertunt Soccin. d. cons. 143.  
num. 11. & 28. lib. 1. Gabr. cons. 137. num. 23. cum se-  
quen. lib. 1. Bellon. jun. cons. 22. num. 8. cum sequen.  
Fontanell. de past. clausul. 4. glof. 21. par. 2. num. 42.  
cum sequen.

Credebat aliqui, ut ad captoria exclusionem suffragari posset auctoritas Rote apud Moped. decif. 6. de testamento; Verum hæc auctoritas à casu controverio extranea era, dum ibi dubitabatur de validitate dispositionis, utpotè collatae in alienam voluntatem, unde decisio utitur termino captoriae per improprietatem, ac juxta eum sensum, in quo erroneè antiquiores illum acceperunt, in primo, & secundo casu exemplificatis in d. decif. 350. par. 6. recen. & decif. 23. par. 11. recen. Hac autem omnia remanerunt in simplicibus terminis discursus in con-  
greßu, dum Scribentes pro oppositoribus agnoscen-  
tis motivi insubstantiam, illud ( ut supra insinua-  
rum est ) neglexerunt, totaque controversia post mo-  
dum, me præterim nimium cooperante, cum quinque ex sex oppositoribus per concordiam finem ha-  
buit.

## ROMANA. RENVNCIATIONIS.

P R O

VALENTIA DE VALENTIBUS  
C U M

HÆREDITATE PHILIPPI pariter  
DE VALENTIBUS.

Discursus pro veritate in casu postea decisio  
per Rotam pro hæreditate.

De eadem materia captoria, quando ad-  
esse dicatur, adeout vitiet testamentum;  
Et an detur captoria in renunciationi-  
bus, seu donationibus, aliisque actibus in-  
ter vivos.

## S U M M A R I U M.

<sup>1</sup> F Acti series.  
<sup>2</sup> In dispositionibus factis pro erectione primoge-  
nitura, seu alias favore agnationis non re-  
quiruntur solemnitates statutaria.

<sup>3</sup> De dispositione captatoria.

<sup>4</sup> Captatoria non datur in donationibus, & actibus  
inter vivos.

<sup>5</sup> Quæ verò, & propriè dicatur captatoria.

<sup>6</sup> Excluditur captio à casu controversya.

DISCURSUS

De LUCHA  
De  
Instrumentis  
et cat  
GVI  
S